

128. Prop. 3<sup>o</sup>. *Scientia Dei est causa rerum.*

*Probatur.* Ita se habet scientia Dei ad res, quas Ipse producit, sicut scientia artificis ad res, quae arte fiunt. Atque scientia artificis est causa rerum, quae arte fiunt. Ergo scientia Dei est causa rerum, quas Ipse producit <sup>1</sup>.

129. Insuper, veritas, et certitudo cognitionis rerum, quae illas non facit, sed factas sumit, ab illis pendet, et mensuratur; quapropter si Scientia Dei causa efficiens rerum non esset, veritas, et certitudo eius a rebus penderet, et mensuraretur. Atque id omnino falsum esse paulo ante ostendimus. Ergo <sup>2</sup>. Hinc s. Thomas discrimen inter scientiam nostram, et scientiam Divinam ex eo etiam assignat, quod «sicut scibilia naturalia sunt priora, quam scientia nostra, et mensura eius; ita scientia Dei est prior, quam res naturales, et mensura ipsarum <sup>3</sup>;» atque alibi res ideo veras esse docet, quia Intellectui Divino, a quo pendent, adaequantur <sup>4</sup>.

130. Iamvero scientia Dei est causa rerum « secundum quod habet voluntatem coniunctam »; secus hoc ipso, quod res a Deo scirentur, existerent; ideoque omnia possibilia extarent; id quod penitus falsum est. Hinc « scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis <sup>5</sup>. »

ut essentia, sed ut est intellecta. Res autem creatae non perfecte imitantur Divinam Essentiam. Unde essentia non accipitur absolute ab intellectu Divino, ut idea rerum, sed cum proportione creaturae fienda ad ipsam Divinam Essentiam, secundum quod deficit ab ea, vel imitatur eam. Diversae autem res diversimode ipsam imitantur, et unaquaeque secundum proprium modum suum, cum unicuique sit proprium esse distinctum ab altera: et ideo ipsa Divina Essentia, cointellectis diversis proportionibus rerum ad eam, est idea uniuscuiusque rei. Unde, cum sint diversae rerum proportiones, necesse est esse plures ideas; et est quidem una ex parte Essentiae, sed pluralitas inventur ex parte diversarum proportionum creaturarum ad Ipsam <sup>6</sup>; Qq. disp., De Ver., q. III, a. 2 c.

<sup>1</sup> I, q. XIV, a. 8 c. Cf s. August., Tract. I In Ioann. Ev. cap. I, n. 17.  
<sup>2</sup> Quae sunt, inquit s. Gregorius M., non ab aeternitate Eius videntur, quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur <sup>7</sup>; Moral., lib. XX, c. 23; cf lib. XXXII, c. 6.

<sup>3</sup> I, q. XIV, a. 8 ad 3. Id ipsum s. Augustinus docuit iis verbis: « Nos itaque quae fecisti, videmus, quia sunt; Tu autem, quia vides, ea sunt »; Confess., lib. XIII, c. 35, n. 53. Et alibi: « Iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset »; De Civ. Dei, lib. XI, c. 10.

<sup>4</sup> I, q. XVI, a. 1. — <sup>5</sup> I, q. XIV, a. 8 c.

Exinde facile intelliges 1<sup>o</sup> scientiam Dei non esse causam peccati; siquidem illius deformitatem, ut in capite quinto dicemus, Deus non vult, et approbat, sed dum taxat permittit <sup>8</sup>; 2<sup>o</sup> quamvis Scientia Dei sit aeterna, tamen creature non esse ab aeterno; nam « quia res procedunt a scientia, mediante voluntate, non oportet quod in esse prodeant quandocumque est scientia, sed quandocumque voluntas determinat <sup>9</sup> ».

131. Insuper quidam effectus proveniunt a Scientia Dei, mediante causis secundis. Quoniam vero « omnis effectus non solum sequitur conditionem causae primae, sed etiam mediae...», ideo res scitae a Deo procedunt ab Eius Scientia per modum voluntatis, et per modum causarum secundarum, nec oportet quod in omnibus modum scientiae sequantur <sup>10</sup>; ex quo consequitur non omnes res a Deo scitas esse necessarias, licet scientia Dei necessaria sit <sup>11</sup>.

#### ART. V. *De voluntate Dei*

132. Ea, quae circa Dei Voluntatem scitu potiora sunt, sequentibus propositionibus complectimur:

Prop. 1<sup>o</sup>. *Admittenda in Deo est voluntas, praestantiori autem modo, quo in nobis est.*

*Probatur* prima pars. Quaelibet res ita natura sua comparata est, ut si perfectionem sibi consentaneam assecuta sit, in ea quiescat; sin ea careat, ipsam assequi nitatur. « Unde et natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem similem habitudinem habet, ut scilicet cum habet ipsum, quiescat in illo; cum vero non habet, quaerat ipsum; et utrumque pertinet ad voluntatem. Unde in quolibet habente intellectum

<sup>6</sup> « Quaedam, ait idem Afer Doctor, facit Deus, et ordinat: quaedam vero tantum ordinat. Iustos et facit, et ordinat: peccatores autem, in quantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantum » (Lib. imperf. De gen. ad litt., c. 5, n. 23). Id ex eo amplius declaratur, quod « per hoc ipsum, quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebrae » (I, q. cit., a. 10 c.); siquidem « malum non est per se cognoscibile: quia de ratione mali est, quod sit privatio boni » (ibid., ad 4). Quare « scientia Dei non est causa mali, sed est causa boni, per quod cognoscitur malum »; ibid., ad 2.

<sup>7</sup> Qq. disp., De Ver., q. II, a. 14 ad 2.

<sup>8</sup> Ibid. c. — <sup>9</sup> Ibid. ad 3.

est voluntas... Et sic oportet in Deo esse voluntatem, cum sit in Eo intellectus<sup>1</sup>.

133. Praeterea, si Deus voluntate careret, pluribus, monente s. Bonaventura, destitueretur, perfectionibus. Etenim 1° dominum in res creatas exercere non posset, nam *voluntas est illud, penes quod residet potestas*; 2° non esset felicissimus; siquidem « voluntas est, in qua consistit voluptas summa, sive felicitas; beatus enim est qui habet omne quod vult; unde nihil delectatur, nisi habens voluntatem, vel aliquid simile voluntati »; 3° iustitia Ei non esset attribuenda; nam « voluntas est illud, penes quod residet iustitia, et aequitas; iustitia enim non est aliud, quam rectitudo voluntatis; unde non habentia voluntatem non sunt capacia iustitiae »; 4° summa liberalitas Ei esset deneganda, quia « voluntas est vis, secundum quam attenditur summa liberalitas; omnis enim liberalitas venit ex amore, sed constat quod amor est actus voluntatis<sup>2</sup> ».

134. Altera pars ex infinita simplicitate Dei colligitur, atque

<sup>1</sup> Cf s. Thom., I, q. XIX, a. 1 c.

<sup>2</sup> In lib. I Sent., Dist. XLV, a. 1, q. 1 in arguendo, Distinguenda autem est, ut s. Thomas docet, voluntas, quae *proprie*, et quae *metaphorice* de Deo dicitur. « Voluntas proprie dicta, ait, vocatur voluntas beneplaciti; voluntas autem metaphorice dicta voluntas signi, eo quod ipsum signum voluntatis voluntas dicitur » (I, q. XIX, a. 11 c.). Itaque voluntas beneplaciti est actus interior eiusdem Divinae Voluntatis. Quoniam vero homines per aliqua signa, quae sunt *operatio*, *permisso*, *praeceptum*, *prohibito*, *consilium*, voluntatem suam exprimere solent; ita metaphorice in Deo dicimus voluntatem illud, quod in nobis signum voluntatis est. Haec autem voluntas signi « tribus modis se habet ad voluntatem beneplaciti. Quaedam enim est voluntas signi, quae numquam incidit in idem cum voluntate beneplaciti, sicut *permisso*, quae *permittit* mala fieri, cum mala fieri numquam velit; quaedam autem semper in idem incidit, sicut *operatio*; quaedam vero quandoque incidit, et quandoque non, sicut *praeceptum*, *prohibito*, et *consilium* » (Qq. disp. De Ver., q. XXIII, a. 3 ad 6). Cum vero dicitur voluntatem signi non semper incidere in idem cum voluntate beneplaciti, hoc intelligendum est, non quatenus cum nulla voluntate beneplaciti, sed quatenus cum illa, quae nobis videtur, non coniungitur. E. g., cum Deus praecepit Abrahamo, ut filium suum Isaacum immolaret, potabat ille Deum velle huiusmodi sacrificium; at non haec erat in Deo voluntas beneplaciti, sed ut manifesta fieret Abrahami fides, et obedientia. Ita etiam Deus permittit peccatum, Eius tamen voluntas beneplaciti non est peccatum, sed, ut postea dicemus, bonum, quod ex peccato eruit.

perspicuis verbis ab eodem Seraphico Doctore ita explicatur: « Voluntas in nobis est per differentiam a substantia, et actu; et per distantiam a fine. In Deo autem per omnimodam indifferentiam horum, scilicet substantiae, virtutis, actus et finis. Et quia in nobis est per differentiam a substantia, et ab actu, ideo aliis est praesidens, et secundum diversos actus variabilis. Propter differentiam enim a substantia, in qua possunt et aliae potentiae radicari, praesidet aliis potentias, ut sensui, et appetitui. Propter differentiam ab actu, est variabilitas secundum alterationem affectionum. In Deo autem nentrum, et ideo nec regit inferiores potentias, nec habet variari secundum affectiones varias. Et quia in nobis est per distantiam a fine, inde est, quod est indigens, et ideo in ea est fuga, et appetitus, et cadit in ea tristitia, et malitia, quia potest a fine obligari, cum non sit illi coniuncta. In Deo nec fugam, nec appetitum<sup>1</sup> habet, nec tristitiam, nec malitiam, sed omnimodam laetitiam, et iustitiam<sup>2</sup>. Hinc etiam illud intelligitur, voluntatem in Deo esse, non ut quaerat finem, sed ut quiescat in illo<sup>3</sup>.

135. Prop. 2. *Obiectum primarium Divinae Voluntatis est ipsa Divina Essentia; secundarium sunt res extra Deum.*

*Probatur* prima pars. 1° « Bonum intellectum est obiectum voluntatis. Id autem, quod a Deo principaliter intelligitur, est Divina Essentia. Divina igitur Essentia est id, de quo principaliter est Divina Voluntas<sup>4</sup>.

2° « Unicuique volenti principale volitum est suus ultimus finis; nam finis est per se volitus, et per quem alia fiunt volita. Ultimus autem finis est ipse Deus, quia Ipse est summum bonum. Ipse igitur est principale volitum suae Voluntatis<sup>5</sup>.

136. *Probatur* altera pars. Voluntas consequitur intellectum. Sed Deus suo intellectu intelligit se principaliter, et in se intel-

<sup>1</sup> « Appetitus, subdit s. Thomas, proprie est rei nondum habitae»; In lib. I Sent., Dist. XLV, q. I, a. 1 ad 1. — <sup>2</sup> Loc. cit., in resol.

<sup>3</sup> « Dicendum, scribit s. Thomas, quod voluntas in nobis pertinet ad appetitivam partem. Quae, licet ab appetendo nominetur, non tamen hunc solum habet actum, ut appetat, quae non habet; sed etiam ut amet, quod habet, et delectetur in illo; et quantum ad hoc voluntas in Deo ponitur, quae semper habet bonum, quod est Eius obiectum, cum sit indifferens ab eo secundum essentiam »; I, q. XIX, a. 1 ad 2.

<sup>4</sup> Contr. Gent., lib. I, c. 74. — <sup>5</sup> Ibid.

ligit omnia alia. Igitur similiter principaliter vult se, et volendo se, vult omnia alia<sup>1</sup>.

137. Prop. 3. *Divina Bonitas est Deo sola ratio volendi quaecumque extra se vult.*

*Probatur.* Illud, quod voluntas propter seipsum vult, est unica ratio, qua cetera velit; hinc ultimus finis, cum propter se appetatur, ratio est, cur cetera appetantur. Atqui illud, quod Dei voluntas propter seipsum vult, est *Eius Bonitas*. Ergo<sup>2</sup>.

138. Praeterea, si *Divina Voluntas* aliqua ratione a bonitate creata moveretur, amor, quo diligeret creature, non tantum effectivus, sed etiam affectivus esset; siquidem amor effectivus bonitatis obiecti, cum ipse sit, a quo illa oriatur, nequit ab ipsa allici, seu moveri. Atqui amor, quo Deus diligit creaturem, non est affectivus, sed tantum effectivus<sup>3</sup>; nam amor affectionis trahit, et transformat amantem in amatum; dum e contrario Deus omnia trahit ad seipsum, repugnatque *Ipsum* in creaturam transformari. Ergo *Divina Voluntas* nullo modo a bonitate creata movetur.

139. Prop. 4. *Deus necessario seipsum, libere autem res extra se vult.*

*Probatur* prima pars. *Voluntas necessario inhaeret ultimo fini, ita ut oppositum nequeat velle.* Atqui *Divinae Voluntatis* non est aliis finis, quam ipse Deus. Ergo Deus necessario vult se ipsum.

140. Praeterea, « *omnis perfectio, et bonitas quae in creaturis est, Deo convenit essentialiter.* Diligere autem Deum, est summa perfectio rationalis creature, cum per hoc quadammodo Deo uniatur. Ergo in Deo essentialiter est; ergo ex necessitate diligit se, et sic vult se esse<sup>4</sup> ».

<sup>1</sup> Ibid., c. 73.

<sup>2</sup> I, q. cit., a. 1 ad 3. Exinde etiam sanctus Doctor insert obiectorum multitudinem, quae Deus vult, *Eius infinitae simplicitati minime obstat.* Nam « *sicut intelligere Divinum est unum, quia multa non videt, nisi in uno; ita velle Divinum est unum, et simplex; quia multa non vult, nisi per unum, quod est Bonitas sua;* » ibid., a. 2 ad 4.

<sup>3</sup> « *Quia voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea mouetur sicut ab obiecto; amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius, sed e converso, bonitas eius vel vera, vel aestimata provocat amorem, quo ei volumus et bonum conservari, quod habet, et addi, quod non habet, et ad hoc operamur.* Sed amor Dei est infundens, et creans bonitatem in rebus »; I, q. XX, a. 2 c.

<sup>4</sup> *Contr. Gent.*, lib. I, c. 80.

141. *Probatur* altera pars. *Voluntas necessario vult ea, sine quibus finis esse non potest; non autem ex necessitate, sed libere vult ea, sine quibus finis esse potest.* Atqui *Deus vult alia a se, in quantum ordinantur ad suam bonitatem, ut in finem.* *Bonitas autem Dei est perfecta, et esse potest sine aliis, cum nihil Ei perfectionis ex aliis accrescat.* Ergo Deus res extra se non necessario, sed libere vult<sup>1</sup>.

142. Porro perspicuum est tum potestatem faciendi malum, tum deliberationem, tum mutationem a *Divina Libertate* amovendas esse. Sane 1° « *ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminate se habeat ad bonum, vel malum; sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere possit.* Et hoc Deo convenit; bona enim, quae facit, potest non facere, nec tamen malum facere potest<sup>2</sup> ». 2° *Deliberatio, seu inquisitio rationum ex defectu cognitionis oritur; quo circa, cum in Deo cognitione sine discursu sit, etiam electio in Ipso est sine deliberatione.* 3° *Item libertas electionis in eo consistit, ut eligens illo, quo eligit, momento possit, prout mavult, eligere, vel non eligere.* At, iam posita illa electione, cum Enti omniscio nulla deinceps innotescere possit prudens ratio mutandi sententiam, electio illa immota manet. Quocirca ratio, cur Deus sententiam non mutet, non defectus liberae electionis, sed plenitudo perfectionis est, qua sit, ut nihil novi umquam possit addiscere<sup>3</sup>.

143. Illud etiam observandum est, liberam volitionem Dei spectari posse aut ratione entitatis *Divinae*, quatenus nempe est in Deo, aut ratione *terminationis* ad creaturem. Si priori modo consideretur, est quidem necessaria, sin altero modo, est libera. Quare illud, quod actus Dei liber addit supra necessarium, non est aliud, nisi relatio huius actus ad creaturem, scilicet habitudo, seu respectus, et *terminatio* ad creaturem. Rursus haec *terminatio* potest ex parte Dei, et ex parte creaturem spectari. Si ex parte Dei consideretur, quatenus est actio vitalis, et intrin-

<sup>1</sup> I, q. XIX, a. 3 c. Cf *Cosmol.*, c. VII, art. 2, p. 163.

<sup>2</sup> In lib. II *Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 1 ad 2.

<sup>3</sup> « *Dicendum quod Voluntas Divina se habet ad opposita, non quidem ut aliquid velit, et postea nolit, quod Eius immutabilitati repugnaret, nec ut possit velle bonum, et malum, quia defectibilitatem in Deo ponere, sed quia potest hoc velle, et non velle* »; *De Ver.*, q. XXIV, a. 3 ad 3.

seca, non distinguitur ab ipsa substantia Dei; si vero ex parte creaturarum, est aliquid defectibile, seu, quod deesse possibile sit.

144. Ex his, quantum tenuitas nostrae mentis patitur, illa expeditur difficultas, quomodo nempe actus liber sit Deo internus, et tamen, cum liber sit, possit esse, vel non esse. Sane, cum in relatione Divini actus ad creaturas, duplex respectus sit distinguendus, alter ex parte Dei, sub qua ratione intrinsecus est, ita tamen ut ordinem ad creaturas habeat, alter ex parte creaturae, sub qua ratione est mere extrinsecus, dicendum est actum liberum Deo internum posse esse, vel non esse, non quidem ratione entitatis, nec ratione solius merae terminationis extrinseciae, quia haec actum intrinsece liberum constituere non potest, sed ratione terminationis intrinseciae ad aliquid extrinsecum<sup>1</sup>. Quare Divina libertas consistit in intrinseca indifferencia relationis Divini actus ad obiecta extrinseca.

145. Obiic. 1° Deus vult alia a se propter Bonitatem suam. Atqui Deus Bonitatem suam necessario vult. Ergo Deus necessario vult alia a se.

146. Resp. *Dist. mai.*, ita tamen, ut sine illis Bonitas sua esse possit, *conc. mai.*, ita ut sine illis esse non possit, *neg. mai.*; *conc. min. Neg. cons.* « Licet Deus ex necessitate velit Bonitatem suam, non tamen ex necessitate vult ea, quae vult propter Bonitatem suam; quia Bonitas Eius potest esse sine aliis<sup>2</sup>. Id ex eo magis perspicuum fit, quod Deus « non agit propter suam Bonitatem, quasi appetens quod non habet, sed quasi voluntas communicare quod habet; quia agit non ex appetitu finis, sed ex amore finis<sup>3</sup> ».

147. Obiic. 2° In Deo intellectus, et voluntas non distinguntur. Ergo sicut Deus quidquid intelligit, necessario intelligit, ita quidquid vult, necessario vult.

148. Resp. *Dist. ant.*, si considerentur in ipso Deo, *conc. ant.*, si considerentur relata ad res, *neg. ant.*, *neg. cons.* et *paritatem*. Hanc objectionem s. Thomas iam sibi proposuit, et luculenter confutavit. Porro sanctus Doctor advertit, intelligere, et velle

<sup>1</sup> Circa hanc quaestionem cf Gonet, *Op. cit.*, tract. IV, c. 2.

<sup>2</sup> S. Thom., I, q. XIX, a. 3 ad 2.

<sup>3</sup> Q. dispp., *De Pot.*, q. III, a. 15 ad 14.

non distingui inter se, si considerentur in Deo, quippe quod, prout in Deo sunt, unum, idemque sunt cum Essentia Divina; sed si relata ad res considerentur, unum ab altero distingui. Etenim, quoniam cognitio, ut saepe diximus, in ipso subiecto cognoscente tota perficitur, perspicuum est res a Deo sciri, prout ipsae in Eo sunt; atqui quidquid in Deo est, ab Eius Essentia realiter non distinguitur; ergo res, prout a Deo sciuntur, ab Essentia Dei non discriminantur. Unde *Divinum scire* idem est, ac *Divinum Esse*. E contrario, *Divinum velle* ad res relatum idem non est, ac *Divinum Esse*; nam voluntas Dei ad res referatur, prout hae sunt in seipsis; res autem, prout sunt in seipsis, ab Essentia Dei realiter distinguuntur. Ex quo facile conficitur Deum non velle res, quae extra se sunt, eadem necessitate, qua illas scit, quia quidquid est unum cum Essentia Dei, est absolute necessarium, sed quidquid existit extra Deum, non est absolute necessarium<sup>4</sup>.

149. Obiic. 3° Cousinus: Deus est causa absoluta. Ergo non potest non producere res extra se.

150. Resp. *Neg. cons.* Re quidem vera ex notione causae absolutae illud tantum inferendum est, Deum virtute res creandi non ab alio donari, sed vi sue naturae frui; numquam vero Illum necessario res creare. Quinimmo eo ipso, quod Deus est causa absoluta, summa Eius libertas innotescit; Ens enim absolutum, cum sibi plenissime sufficiens sit, nullam necessariam relationem cum re extrinseca involvit<sup>2</sup>.

#### ART. VI. *De potentia Dei*

151. Nomine *potentiae Dei*, ut cuique compertum est, non intelligitur *potentia passiva*, quae est *principium patienti* ab

<sup>1</sup> « Dicendum, quod sicut *Divinum Esse* in se est necessarium, ita et *Divinum velle*, et *Divinum scire*. Sed *Divinum scire* habet necessariam habitudinem ad scita, non autem *Divinum velle* ad volita; quod ideo est, quia scientia habetur de rebus, secundum quod sunt in scientie; voluntas autem comparatur ad res, secundum quod sunt in seipsis. Quia igitur omnia alia habent necessarium esse, secundum quod sunt in Deo; non autem, secundum quod sunt in seipsis, habent necessitatem absolutam, ita quod sint per seipsa necessaria; propter hoc Deus quaecumque scit, ex necessitate scit; non autem quaecumque vult, ex necessitate vult »; I, q. XIX, a. 3 ad 6.

<sup>2</sup> Alias objectiones vid. in *Cosmol.*, loc. cit., p. 166-168.

alio, sed potentia *activa*, quae est *principium agendi in aliud*<sup>1</sup>. Scilicet potentia Dei est ipsa scientia, vel voluntas Divina, secundum quod est *principium effectivum*<sup>2</sup>.

152. Ut haec notio Divinae Potentiae dilucidius explicetur, memoria revocandum est ad operationem agentis intellectualis finiti concurrere intellectum, et voluntatem, veluti principia mediana, atque potentiam, quae opus exequitur, tamquam principium immediatum. Iam potentia non ponitur in Deo, ut aliquid differens a scientia, et voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id, quod voluntas imperial, et ad quod scientia dirigit; quae tria Deo secundum idem convenient<sup>3</sup>. Insuper actionis Dei non est aliud ab Eius potentia, sed utrumque est Essentia Divina<sup>4</sup>. Ex quo illud etiam consequitur, Divinam Potentiam esse quidem principium effectuum, qui per ipsam producuntur, non vero principium actionis, qua res producuntur; nam actionis, quae ipsa Divina Essentia est, nullum principium esse potest<sup>5</sup>.

153. Prop. *Potentia Dei est infinita*.

*Probatur.* « Unumquodque, secundum quod est actu, et perfectum, secundum hoc est principium activum alicuius<sup>6</sup>. Quapropter unumquodque tantum abundat in virtute agendi, quantum est in actu<sup>7</sup>. Atqui Deus est actus infinitus. Ergo.

154. Praeterea, « in omnibus agentibus hoc invenitur, quod, quanto aliquod agens perfectius habet formam, qua agit, tanto est maior eius potentia in agendo. Sicut quanto est aliquid magis calidum, tanto habet maiorem potentiam ad calefaciendum...

<sup>1</sup> Cf s. Thom., I, q. XXV, a. 1 c.

<sup>2</sup> Ibid. ad 4. Hinc dicimus Deum intelligendo, et volendo res extra se producere, atque omnia, quae operatur, operari, secundum illud Ps. CXLVIII, v. 5: *Ipse dixit, et facta sunt; Ipse mandavit et creata sunt*.

<sup>3</sup> Loc. cit.

<sup>4</sup> Ibid. ad 2. « Cf locum s. Anselmi cit. p.331,not. 3. Qua in re s. Thomas monet non oportere quod potentia Dei semper sit coniuncta effectui, sicut nec quod creaturae fuerint ab aeterno; siquidem « Potentia Dei semper est coniuncta actu, id est operationi; nam operatio est Divina Essentia; sed effectus sequuntur secundum imperium voluntatis, et ordinem Sapientiae »; Qq. disp., *De Pot.*, q. I, a. 1 ad 8.

<sup>5</sup> I, loc. cit. ad 3. — <sup>6</sup> I, q. cit., a. 1 c.

<sup>7</sup> Qq. disp., loc. cit., a. 2 c.

Unde, cum ipsa essentia Divina, per quam Deus agit, sit infinita; sequitur, quod Eius potentia sit infinita<sup>1</sup>. Exinde sequitur Dei Potentiam ad omnia, quae sunt absolute possibilia, producenda parem esse. Cuilibet enim potentiae activae respondet velut obiectum proprium quoddam possibilis genus; sicut potentia calefactiva refertur, ut ad proprium obiectum, ad esse calefactibile; Divinae igitur potentiae, quae est infinita, respondeat necesse est obiectum, quod omne genus excedit, seu quicquid rationem entis habere potest. Atqui huiusmodi est quocumque est absolute possibile. Ergo Divina Potentia ad omnia, quae sunt absolute possibilia, extenditur<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> I, q. cit., a. 2 c.

<sup>2</sup> Ibid., a. 3 c. Exinde perspicitur magno in errore versari Abaelardum, aliosque, qui, ut in *Cosmologia* (c. VIII, art. 1, p. 172, not. 1, et p. 173, not. 2) adnotavimus, Deum non potuisse alia efficere, quam quae fecit, nec plura his, quae fecit, blaterant. Sane omnis virtus perfecta ad ea omnia porrigitur, circa quae proprius eius effectus versatur; sicut perfectus artifex ea omnia potest efficere, quae suae artis propria sunt. Est autem Virtus Divina infinite perfecta, atque proprius Eius effectus est quidquid habet rationem entis. Igitur ea omnia Deus potest efficere, quibus ratio entis non repugnat. Ratio autem entis iis tantum repugnat, quae contradictionem involvunt. Quidquid ergo contradictionem non implicat, potest a Deo fieri. Iam vero multa sunt in rebus creatis, quae, si essent, nullam conceptum pugnam involverent, sicut patet praesertim circa numerum, quantitatem, et distantias stellarum, aliorumque corporum, in quibus, si aliter se haberet ordo rerum, nulla esset contradictione. Haec igitur possunt a Deo fieri. (cf *Contr. Gent.*, lib. II, c. 22). Ad haec tota ratio ordinis, quam sapiens rebus a se factis imponit, a fine sumitur. Quando igitur finis est proportionatus rebus propter finem factis, sapientia facientis limitatur ad aliquem determinatum ordinem. Sed Divina Bonitas est finis improportionabiliter excedens res creatas. Unde Divina Sapientia non determinatur ad aliquem ordinem rerum, ut non possit aliis cursus rerum effluere. Unde dicendum est simpliciter, quod Deus potest alia facere, quam quae fecit» (I, q. cit. a. 3 c.). Sciendum autem est Abaelardum in hunc errorem devenisse ex sententia Diodori Croni (cf Cic., *De Fato*, c. 7), quae in recenti philosophia Hobbesium, Spinosam, et Robinetum praecipiosi fautores habuit, nempe non aliud possibile esse, quam quod aut est, aut futurum erit. At vero haec sententia, praeterquam quod in se absurdum est, tollit enim omne discrimen inter possibile, et actuale, ad absurdum, atque extititia consecutaria dicit; nam omnem libertatem et in homine, et in Deo destruit, quia id, quod est possibile, necessario huiusmodi est; possibile enim et impossibile dicuntur secundum convenientiam, vel repugnatiā terminorum; et ideo si non aliud est possibile, quam quod est, aut futurum erit, sequitur, quidquid est, aut futurum erit, esse necessarium.

155. Diximus ad ea, quae sunt absolute possibilia; nam ea, quae sunt absolute, sive *intrinsecus impossibilia*, ad Divinae Omnipotentiae obiectum non pertinent. En quomodo ad hanc rem s. Thomas argumentatur: « Hoc, quod est affirmationem, et negationem esse simul, rationem entis habere non potest, nec etiam non entis; quia esse tollit non esse, et non esse tollit esse: unde nec principaliter, nec ex consequenti potest esse terminus alicuius potentiae activae. . . . Cum Deus sit actus maxime, et principale ens. . . . Eius actio non nisi ad ens terminari potest principaliter, et ad non ens consequenter. Et ideo non potest facere quod affirmatio, et negatio sint simul vera, nec aliquod eorum, in quibus hoc impossibile includitur. Nec hoc dicitur non posse facere propter defectum suae potentiae, sed propter defectum possibilis, quod a ratione possibilis deficit; propter quod dicitur a quibusdam, quod Deus potest facere, sed non potest fieri <sup>1</sup> ».

156. Hac in re quaestio illa in medium affertur, utrum, necne ab ipsa Potentia Dei interna rerum possilitas sit repetenda, iam veritati consentaneum est internam rerum possilitatem non ex Divina Potentia, sed ex non repugnantia terminorum ducendam esse. Ubi quaestionis status bene est definiendus. Cum dicimus, possilitatem rerum a Divina Omnipotenti non repeti, dependentiam essentiae rerum a Deo, qui est primum ens, haud excludimus; sed ex modo nostro concipiendi Omnipotentiam ab Essentia Divina distinguimus; atque creaturas esse possibles dicimus, non ideo praecise, quia Deus est omnipotens, sed quia, cum nullam repugnantiam in suis notis essentialibus includant, entis rationem praeseruent, atque ideo huiusmodi sunt, ut a Deo, primo et infinito Ente, effici queant. Re sane

Neque id diffitentur Spinoza, Robinetus, aliique recentes, quippe qui hac theoria ad necessitatem creationis insinuandam utuntur.

<sup>1</sup> *Qq. disp., ibid., a. 3 c.* Eadem ratione loquitur s. Augustinus: « Quisquis dicit, Si omnipotens est Deus, faciat ut quae facta sunt, facta non fuerint; non videt hoc se dicere. Si omnipotens est, faciat ut ea, quae vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint »; *Contr. Faust. Man.*, lib. 26, c. 5. Et alibi: « Nec potestas Eius minuitur, cum dicatur mori, faliique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius, si posset, minoris eset utique potestatis... Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult: quod Ei si accideret, nequaquam eset omnipotens »; *De Civ. Dei*, lib. V, c. 10.

vera, ut argumentatur s. Thomas <sup>2</sup>, si res ideo possibles conciperentur, quia Deus eas efficere potest, in circulum vitiosum incideremus; idem enim esset, ac si diceres, res sunt possibles, quia Deus illas efficere potest, et Deus illas efficere potest, quia sunt possibles. Adhaec, si entia quaevi idcirco essent possibilia, quia Deus illa producere potest, dicendum foret ideo solum aliquid esse impossibile, quia Deus illud efficere non posset; imbecillitas ergo causae esset unica ratio impossibilitatis rerum; quod profecto infinitae Dei Potentiae notionem pessimadaret. At haec absurdia evanescunt, si statuatur res, antequam cum Divina Potentia conferantur, interna perfrui possilitate, quae ex consensu notarum illas constituentium exurgit. Interroganti enim causam, cur aliquid impossibile sit, e. g., homo irrationalis, vel lapis cogitans, idoneum responsum in promptu esset, nempe quia haec, et similia rationem entis non habent, sive ex notis mutuo pugnantibus coalescent, quae se invicem destruentes in obiecto, quod faciendum fingitur, nihil relinquunt. Unde convenientius dicitur quod ea, quae contradictionem implicant, non possunt fieri, quam quod Deus non possit facere <sup>2</sup>.

<sup>1</sup> I, q. cit., a. 3 c.

<sup>2</sup> *Ibid. Cartesius* (cf *Ontol.*, c. II, art. 3, p. 17, not. 3) internam rerum possilitatem a Divina voluntate, ac arbitrio pendere docuit; siquidem, eius iudicio, res *intrinsecus possibilia* ex eo evadunt, quod Deus sic eas esse velit, ut, si aliter voluisse, possibilia etiam essent ea, quae nunc, ob notas secum pugnantibus, impossibilia iudicantur. At quomodo impossibilitia per voluntatem Dei possilita evadent? Profecto cum id, quod notis sibi invicem reluctantibus conflatur, puta circulus quadratus, sit *nihilum*, seu *non ens*, actio Divina pro suo obiecto haberet *non ens*; atque idcirco ex voluntate Dei aliquid simul esset, et non esset, non esset, quia *intrinsecus repugnans* est *nihil*; esset autem, quia produci fingitur. Neque limitibus circumscrribitur Dei potentia, ex eo quod ad impossibilitia non porrigitur; namque ut iam adnotavimus, non ex defectu Divinae potentiae contradictione fieri nequeunt, sed quia ipsa obiectum Divinae potentiae esse nequeunt. E contrario, alii philosophi internam rerum possilitatem sic tuerunt, ut ea non modo a Dei potentia, et voluntate, verum etiam ex intellectu, et essentia Eius non pendere ducant. Ita opinantur Genuensis, et Storchenau, quorum alter docet mundum pendere quidem a Deo quoad existentiam, at minime quoad essentiam; alter vero asserit in absurdita hypothesi Dei non existentis posse res frui possibilitate interna, licet quoad extenam possilitatem intereant. Contra huiusmodi sententiam satis sit haec reponere: 1º Quid si philosophi nomine essentiae intelligent? Nihil certe aliud, quam id, quo res est id quod est. At quomodo res potest rationem